



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118634

§. 20. Michaelis Nostradami exitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

Sæcul XVI. Oecolampadio, aliisque eidem interfuit colloquio, in quo Magistratus immutata omni Religione hærefin introducebat. Mortuus est denique Blaurerus ætatis suæ anno septuagesimo quinto, eumque Calvinus in suis epistolis amplo elogio honorabat: verum cuncta, quæ posteris reliquit, opuscula non nisi ad quosdam pietatis libellos restringuntur.

§. XX.

Michaelis Nostradami exitus.

*Spond. hoc
ann. n. 34.
Naude Apa-
log. des
grands
hommes
ch. 6.*

Haud silentio prætereundus est celebris Michael Nostradamus Medicus, atque Astronomus suis vaticiniis risu dignis adeo celebris, ut etiam ad similia deliria in vulgus spargenda non pauci nomen huius Scriptoris, auctoritatemque allegarent. Referunt Historicorum nonnulli, illum in oppido sancti Remigii in Provincia fuisse natum: alii vero eum Sali ortum dicunt, id tamen certum constat, quod ibidem in Ecclesia Fratrum Minorum sepultus fuerit, ubi etiam ejus effigies unacum funerali inscriptione marmori incisa hodieum visitur. Obiit is Sali die secunda Julii, postquam annos sexaginta duos, sex Menses, & septendecim dies vixerat: porro is idem in Mont-Pessulano Collegio literis vacabat, confectoque studiorum

diorum curriculo Tolosam, ac Burdegalam profectus est, indeque in Provinciam reversus Anno redemptionis nostræ millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto suas edidit centurias, quas Henricus I. Franciæ Rex tanti habuit, ut illarum Authorem cernere desideraret, ac Comes Tenda Provincie Gubernator illum Parisios hanc ob rem conducere juberetur. Eidem quoque Rex ducentos aureos dono dedit, illumque Blesas misit, ut Regios quoque Filios inviseret. Fertur etiam, quod Carolus IX. eundem ingenti pecuniarum summa auxerit, cum per Provinciam iter ageret.

§. XXI.

Facultatis Theologicæ censura circa Ave Maria.

Cum Joannes Rossetus dictus de Matravilla Ecclesiæ Turonensis S. Gattiani Canonicus, & Theologus ad populum dixisset, quod *Ave Maria* in Ecclesia recitari solitum non sit oratio, atque omnis, qui illam recitaret, insipienter agat, nec unquam, ut ex his verbis oratio fieret, Ecclesiæ mens fuerit, ac in illis verbis *Ave Maria gratia plena &c.* duntaxat unicum sit verbum, quod orationem spiret. Has propositiones Facultas Theologica Parisien-

Sæcul. XVI.
A.C. 1566.

*Argentre
Coll. jud.
t. 2. p. 391.*